



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

LVII. Encomium Musicæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

à pronuntiatis divinis, ad Roman. 13. ad Ephes. 6. ad Col. 3. ad Heb. 13.

*Quintil. l. 2. Orat. Instit. e. 10. Vi cera igne calefacta facile flectitur, sic igne divini amoris, qui sunt incensi, facile obediunt. Vide Arist. 8. Pol. 6. 15. 6. 7.* **EPILOGUS** repetet præcipua argumenta, cum exhortatione ad obediendum Deo & hominibus: Parentibus, quorum ope in hanc lucem editi & labore liberaliter sumus educati: Præceptoribus, quos Ethnicus scriptor à discipulis non minoris quàm ipsa studia faciendos esse ait gravissimè; ego Christianos, fidos, verosque præceptores, qui vitam ac mores non minus quàm ingenium excollunt, Angelorum instar habendos affirmo constantissimè: Omnibus deniq; , qui dignitate ac potestate quadam, sive in Politicis, sive in Ecclesiasticis Magistratibus gerendis præcellunt.

### LVII. ENCOMIUM MUSICÆ.

**EXORDIUM**, à causa, qua ad Musicam artem commendandam inductus es: Si ipsa pro se apud vos Musica loqui vellet, Auditores, vosque ejus præclaram aut potius divinam vocem humanis auribus audire possetis, non vererer, ut quemadmodum eius aliquando alumnus feras etiã atq; agrestes bestias ipsius beneficio traxit & nemora; ita etiam ipsa non vos solum, qui, omni humanitate exculti estis atque expoliti, sed quoscunque alios, quamvis immanes & barbaros, ad se audiendum allicere posset, ut nemo esset ex omnibus, tum qui non erigeret aures, animumque attenderet; tum cui non summam illa admirationem cum pari assensione conjunctam commoveret. Sed quoniam aspectabilis illius species, sive quorundam insensata sceleri, qui eius integritatē ac sanctitatē ab honesta detorquētes oblectatione animi, in depravatos quosdam usus impuramq; consuetudinē convertunt, sive propriū illum suum & sibi convenientē adepti locum, ad cœleste domiciliū evolavit, nec desunt tamen præcipiti homines audacia, qui in  
procrea-

procreatricem illam virtutum & artium contumeliosè invehuntur, nec verentur se tam immanè parricidio inquinare: dabis hanc veniam iusto dolori meo, mater sanctissima, si quemadmodum fideles catuli pugnantem dominam, quam morsu nequeunt ac dentibus, latraru saltem adjuvare conantur & cursu: sic tuum ipse decus, & ornamentum, quod multis esse videtur ad lacerandum expositum, si non gravi & ornata oratione, certè tamen grata & egregia voluntate defendam. Quanquam necesse prorsus non erat eorum quicquam respondere obrectioibus, quorum & contemnendum omnino iudicium, & irridenda prorsus oratio videtur. Quid enim aut eorum iudicium reformidem, qui, ut ægroti stupore sensus in ciborum sapore falluntur, sic mentis stupiditate non rectè possunt de rerum vi & natura iudicare? aut eorum quid metuam orationem, qui Musicæ quod deesse ad laudem & ad gloriam quomodo possint docere non video? An dicent, ei deesse *antiquitatem*? quæ, ut omittam cœlestia in ipsius prope nascentis mundi incunabulis cum mortalibus apparuit. An *dignitatem*? qua divinæ humanæque laudes summa cum voluptate celebrantur, eamque ob causam in cælum videtur ascita. An *utilitatem*? quæ una homines docuit deponere mœrorem, & fractas animi ac corporis vires restaurare.

PROPOSITIO: Audite verò, Adolescentes optimi, audite commilitonem vestrum de *Musica antiquitate, dignitate, ac utilitate* differentem simpliciter atque brevissimè. Neque enim faciendum est, ut nostra speciosa magis ac magnifica, quàm solida ac vera fuisse videatur oratio.

CONFIRM. I. ARGUM. *ab antiquitate.* Arque ut à vetustate potissimum exordiar, legite veterum historias, percurrите annales, evoluite diligenter

rerum antiquarum omnia monumenta, nullam profectò post homines natos scientiam, nullam artem, siue inscriptam libris, siue in sculptam lucè animis ante eam fuisse reperietis, qua primi illi parentes, humani generis principes, aut votis suscipiendis, aut gratias agendis bonorum omnium authorem Deum venerabantur.

Gen. 4.

Cerrè Tubalem Lamechi filium, qui ex Caini stirpe ab Adamo septimus fuit, patrem fuisse accepimus *cithara canentiū & organo*: ex quo facilis conjectura est, ante eum fuisse alios, qui assa, ut antiqui loquebantur, voce, id est, sine fidibus & tibiis cecinissent.

Cultores  
Musices.  
Etiam ethnici  
musicā  
sacris & pu-  
blicis cere-  
monijs exhi-  
bebāt: in  
deorū enim  
pulvinari-  
bo & epulis  
magistratu-  
um fides  
precinobāt.

Moses in antiquissimo suo historiarum Libro, cujus quot sunt verba, totidem videntur esse oracula, cum instinctu omnia scripserit afflatuque divino, is, inquam Moses, quem Aegyptiacarū omnium arrium disciplinis accepimus fuisse instructissimum, ante se præclarum illud Dei donum, Musicam, inquam, extitisse, expertissimè indicavit: Nā cum saluum atq; incolumem trajecisset populū, quem suæ habebat fidei commissum, & jam cuncti aquas, hinc & illinc, ut planam aperirent trans-euntibus viam, conglobatas novo illo & inusitato prodigio, pedibus peragrassent, iisdem extinctam aquis atque opertum hostium omnem vidissent exercitum, nihil prius habuit aut antiquius, quàm ut, convocato unum quasi in chorum, innumerabilium virorum agmine, rerum omnium moderatori & admirabilium effectori Deo insignem illam gloriosissimamq; victoriam suavissimo concentu musico, & grandi quodam ac magnifico carmine gratularetur. Quod virorum exemplum secuta altera ex parte fœminæ illud ipsum carmen, verborum sonum pulsu æris modulantes, incredibili voluptate cecinerunt.

II. à dignitate, quia usus ejus tam in Dei populo, quàm inter Ethnicos viguit. Reges, Patriarchæ,

& Prophetæ usi sunt ea ad laudandum Deum, ad agendas Deo gratias, ad beneficia ejusdem celebranda; & posteritati commendanda. Vbi sunt ea *Moyfes, David, Salomon, Esaias*. David etiam Musicos ordinavit ad laudandum Deum, cum arca deduceretur Hierosolymam. 2. *Par. 15.* & doctores 280. constituit, qui erudiebant canticum Domini. 1. *Par. 15.* adhæc majestate ac dignitate omnes artes antecellit ars illa, quæ apud veteres tantum studii & venerationis erat affectura; ut nemo citra hujus cognitionem satis liberaliter eruditus haberetur. *Themistocles, &c. 1. Tusc.* ideo olim nobilium filii æquè Musicam ac Grammaticam discere consueverunt. *Arcades* in ea non solum pueros, sed etiam adolescentes & iuvenes usque ad annum 30. exercebant, homines alioqui valdè austeri. Apud *Græcos Osiris*, aut *Dionysius*, (eundem enim virum duplici hoc nomine intelligi permulti è Græcis voluerunt) cùm exercitum duceret, essetque in eo mirus quidam lepos & amor jucunditatis, suis in castris egregias quasdam virgines, quas *Musas* postea nominarunt, habuit perfectas in Musicis, omniq; rerum scientia & suavitate cantandi Rex ille sapientissimus à tanto illo armorum strepitu, ac turbarum sono avocabat animum interdum eum ut relaxaret, & honestissima voluptate frueretur.

III. *Ab utilitatibus*, quæ ex mirabilibus ejus effectis colliguntur. Nam PRIMÒ, hoc Dei dono Spiritus S. utitur ad animos hominũ cælesti quadam virtute imbuendos, magna ipsis tradendo mysteria, ut in *Psalmis*. SECUNDÒ, fugat dæmonẽ. 1. *Reg. 6.* TERTIÒ, suscitatur Spiritum Domini ad prophetandum in Prophetis. 4. *Reo. 3.* *Elifæus* vaticinaturus *Psalten* vocat. Sic prophetabant filii Prophetarũ psallendo, cantando, choros ducendo. QUARTÒ, Eriam alienigenæ gentes, veri Dei cultũ ignorantibus, Musicam à Deo hominũ generi ideo datam esse

Luc. 9.  
2. Reg. 6.  
Gen. 5.  
Musica cognitio apud Græcos stantia laudibus ducitur, ut contra ignorantia probro verteretur.

esse cessent, ut ea & defatigatam naturam recrearet, & mores mitiores & magis compositos redderet, & denique affectus moderaretur, sic enim divinus ille Plato in *Timæo*, quem Cicero in *Geometria* & *Musica* præstantissimum fuisse asserit, quique, ut & reliqui authores classici, vix ac ne vix quidem, ab eo, qui Musicam non didicit, intelligi potest, & Aristoteles *lib. 3. Polit.* disertè restantur.

Neque solum Musica ad mœrorem sedandum, mores mitigandos, affectus leniendos & concitandos plurimum valet; sed etiam ad fallendum labores. Hinc Ludovicus Viues ait: *Musica hominibus à Deo data est non lascivia vel deliciarum causa; sed ut labores assiduos, asperitatem vitæ, austeriores mores hac quasi dulcedine molliant, ac contemperent.* Imò

Musica est prope domina & moderatrix animorum, quos mouet, sedat, intendit, remittit, perturbat, tranquillat, incitat, reflectit prout utuntur Musici, aut incitatione modorum, aut tarditate cantus. Quod docuit Pythagoras in iis adolescentibus, qui cum instructi tibiis, & stimulari vino, jam jamque mulieris fores effringerent, admonuit tibicinem Spondeum ut caneret, eorumque petulantiam hac ratione repressit. Sic & Aurigenides

cum certo modo inflasset tibus, compulit Alexandrum quasi actum furore, anhelantem cædē Martemque spirantem surgere è cœna, arma poscere, equum ascendere; cum rursus alio cecinisset modo, cōfecto veluti bello, partaque victoria, desilire ex equo, arma ponere, redire ad hilaritatem cōvivii.

IV. à *juccunditate*, de qua consule Macrobius (in *Somnium Scipionis*) & Antonium Maioragium, *Orat. de Musica.*

In *EPILOGO* monebis studiosos, ut diligentem quidem huic arti navent operam, sed diebus dunnaxat lusionum: ut ea ipsis sit, non *ἰγγορ*, sed *παρεγγορ*:

D. Iacob.  
tristes psal-  
tere jubet.  
Virg.  
Ecl. 4,  
Hinc. &c.

Equi in bello  
tubarum  
clangore ar-  
recte stare  
loco nesciunt,  
ac incertam  
rue ar-  
dēt.

γον: ἡδυσμα, in studiis, non ἔδεσμα: condimentum, & jucundum *ἡδιδημα δᾶτ* Ⓞ, non quotidianum pabulum ac nutrimentum.

## LVIII. DE SANCTIS

*Angelis.*

**E**XORDIUM ducetur à circumstantia temporis. Ante aliquot septimanas proposuit Ecclesia Dei meditandam doctrinam de Sanctis Angelis, & celebravit *φιλα. θρωπία* Dei, qui tam præstantes humano generi custodes à principio addidit, ut eorum ministerio adversus furores Saranæ, & multiplicia pericula vitæ defendatur genus humanum. Decerigitur & nos, qui in studiis litterarum versamur, hoc beneficium ministerii Angelorum recolere, cum Ecclesiæ & Scholarum una & consentiens vox esse debeat.

**PARTITIO.** Dicā igitur primò de officiis Angelorum in Ecclesia; tum quid in Rebusp. agant; ultimo quantas res in œconomiis gerant, pro virili exponere conabor, quibus absolutis finem dicendi faciam.

**CONFIRMATIONIS. I.** Pars docebit, quantas res pro salute Ecclesiæ gerant Angeli, quæ, ut clarius conspici possint, primum **OPERA MALORUM SPIRITVVM**, quæ in perniciem Ecclesiæ moluntur considerabis. Duæ proprietates tribuuntur Diabolo à Filio Dei, quòd sit mendax, & homicida. Est certè artificiosissimus pater mendaciorum, quæ tanta audacia, atque ideò venusta veritatis specie sparsit, ut ea animis hominum haud difficulter inferat: quod ubi perfecit, semel concepto veneno miseris animas in æternū præcipitat exitium. *Amplifica hoc consequentibus effectis.* Hinc tanta falsarum opinionum & impiorum dogmatum seges ut penè arenam maris citius numeres, quàm omnes temporum sectas, seu pravas de Religione sent

*Vel ab Exemplo Ethnicorum, qui cū soleant iis honores decernere, qui Rem. ab hostibus defenderunt, multo magis decet eorum nomē celebre reddere, qui non solum Christi Rēp. ab hostibus defendunt, sed & animas ab æterno interitu liberant. Opposita juxta seposita magis elucidant.*